

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XIV. Qualiter domino anima ministret

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XIV.

QUALITER DOMINO ANIMA MINISTRET.

**I**N die sancto Palmarum, dum occupatam haberet memoriam de his quæ Christus ea die fecit in terris, inter alia incidit menti ejus ut scire cuperet quid commodi beatæ Mariæ et Marthæ Domino, cum apud se hospitařetur, præparassent. Tunc visum est sibi quasi esset Bethaniæ in domo earum. Viditque domunculam seorsum paratam, in qua mensa erat collocata, et Dominum in ea sedentem invenit. Quem dum interrogasset quid illa nocte egisset, respondit : « Ego in orationibus totam illam noctem duxi; sed circa diluculum paululum sedens obdormivi. » Et addidit : « Talem domum facies mihi in anima tua, in qua mihimet ministrabis. » Et statim videbatur sibi Dominum ad mensam illam sedere, seque illi servire.

Anima in se  
tamquam in  
domo  
Bethaniæ  
Christum  
suscipit.

Et primo in scutella argentea mel sibi proposuit, illum melleum videlicet amorem, qui eum desinu Patris in præsepium reclinavit, cum per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Secundo, ferculum de herbis violarum sibi ministravit, humilissimam scilicet Christi conversationem qua se omni subjecerat creaturæ. Tertio detulit sibi carnes agni, Agni videlicet immaculati, qui peccata totius abstulit mundi. Quarto posuit ei vitulum saginatum, spiritualis gratiæ dulcedine saginatum. Quinto ministravit ei hinnulum cervorum, inestimabile videlicet desiderium, quo Christus omnibus diebus vitæ suæ usque ad mortem cucurrit. Sexto, obtulit ei piscem assum, ipsum designans Christum pro nobis passum. Septimo, Cor Jesu Christi diversis et optimi odoris conditum aromatibus, omnibus scilicet virtutibus refertum et superplenum, eidem proponebat. Propinabat etiam ei triplex po-

culum. Primo vinum valde bonum, per quod notabatur omnis labor sanctissimæ Christi conversationis, et omnium electorum. Secundo, rubeum vinum, Christi passionem et mortem figurans. Tertio, propinavit sibi merum optimum et suavissimum, divinæ scilicet dulcedinis intimam et spiritualem infusionem. Hæc autem omnia quælibet devota anima spiritualiter ministrat, cum ista devota recolit gratitudine, et pro his Dominum Jesum laudans benedicit.

Qualis  
cibus et  
potus  
Domino ab  
anima  
ministratur.

## CAPUT XV.

## DE QUINQUE MODIS DEUM LAUDANDI.

**A**LIA quadam nocte, cum ex tristitia somnum capere nequiret, audivit Angelorum choros personare: « *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* ». (PSAL. LIV. 23.) Veditque Dominum stantem coram se in viridi vestimento. Ad quem illa: « O amantissime Domine, cum sit tempus passionis, cur viridi veste indueris? » Cui Dominus: « Scriptum est: *Si in viridi ligno hoc fecerunt, in arido quid fiet?* » (Luc. xxiii. 31.) In quo verbo intellexit, quia si virorem omnium virtutum, scilicet Jesum, tam diversis affecerunt pœnis, quid tunc eis qui aridi omnibus sunt bonis, nisi æterna tormenta præparantur. Tunc oravit Dominum ut se instrueret, quid sibi laudis facere deberet hoc tempore passionis. Qui ostendit ei digitos manus suæ, per quos edocta est ipsum debere quinque modis laudare.

Jesus  
est lignum  
viride in  
quo virent  
omnes  
virtutes.

Primo, suam incomprehensibilem omnipotentiam, qua ipse præpotens Dominus Angelorum et hominum, pro homine impotens est effectus. Secundo, suam inscrutabilem sapientiam, qua ipse tamquam fatuus est reputatus. Tertio, suam inæstimabilem charitatem, qua gratis odio est habitus